



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus II. De Desponsatione impuberum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)



## TITVLVS II.

## De Desponsatione Impuberum.

**I**N summis negotiis apud Gentes bene institutas proles procreatio, ad eamque maris ac feminae confociatio semper fuit; utque haec firma & ad propagationem generis stirpisque & Reipublicae functiones valiturae sobolis ferax esset, nuptias & sponsalia quoque aetate maturam iudicioque eorum, in quorum potestate contrahentes sunt, coalescere voluerunt.

## ARTICVLVS I.

## De Aetate ad Sponsalia &amp; Matrimonium requisita.

## SUMMARIUM.

1. Aetatis annum Sponsalia septimum:
2. Nuptiae 14. aut 12. exigunt.
3. Ratio differentiae inter illa & has,
4. Et in istis inter marem & feminam.
5. Ante eam aetatem sponsalia fere Naturali:
6. Matrimonium Positivò Jure non valet:
7. Nisi in illis aetatem preveniat usus rationis:
8. Quòd absente, etiam matrimonium Naturali Jure irritum est,
9. Et sponsalia post 7. annum inita neutrum obligant.
10. Ab his validè initis impubes recedere nequit.
11. Pubes potest:
12. Nisi ea ratificaverit.
13. Aetatem malitia supplet in matrimonio;
14. Et in sponsalibus;
15. Ut ex his publica Honestatis impedimentum oriatur.
16. Usus rationis, in septenni adesse praesumitur.
17. Aetatis anni esse debent completi,
18. Physicè:
19. Imò à momento ad momentum,
20. Saltem in sponsalibus.
21. Nuptias impuberum vim sponsalium habere Negantium,
22. Et Affirmantium Opiniones
23. Conciliantur.
24. Pubes impotens invalidè contrahit:
25. Nisi impotentia temporanea sit.
26. Impubes factus pubes, recedere potest à sponsalibus juratis:
27. Nisi contraxerit proximus pubertati:
28. Quod arbitrio iudicis permittitur.
29. Culpam saltem gravi vacat sponsalium:
30. Non etiam matrimonii ante legitimam aetatem contractus.

Aetatem

1. **Æ**tatem, quam prævenire non licet, Canones Ecclesiastici & nuptiis & his quoque præviis sponsalibus, at non eandem utrisque, & in illis etiam non eandem mari & fæminæ præscriperunt. Et ad sponsalia quidè septenniū in utrisque, *can. Unic. 30. q. 2. c. Literas 4. c. Accessit 5. Sc. hęc Rubr. & c. Unic. pr. ibid. in 6. arg. l. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal. ad nuptias autem sive matrimonium in fæmina duodecimum, c. Contrinebatur 6. Rubr. cit. arg. l. Falsus 11. §. 3. ff. Quod falso tut. aurb. gest. in mare autem decimum quartum ætatis annum requisiverunt, c. Attestationes 10. c. Ex literis 11. hęc Rubr.*

3. Ratio autem, majorem ætatem ad matrimonium, quàm ad sponsalia exigendi, fuit partim diversitas obligationis, in illo multò, quàm in his, majoris & firmitioris; ac proinde multò majorem iudicii maturitatem & consensūs libertatem exposcentis: partim verò; quòd ad illa sive ad sponsalia contrahenda sufficiat usus rationis, qui impletò septenniò regulariter præsens est *l. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal. ibi, Si fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septem annis & arg. l. Si infanti 18. §. fin. junctà l. Poruit 5. C. de Jure deliberandi: quatum l. priori septenni permissitur aditio hæreditatis: posteriori ad hanc exigitur voluntas sive consensus, qui rationis usum in adeunte supponit: ad matrimonium verò præter illum etiam requiritur potentia generandi, sive habitas ad copulam carnalem perfectam. Unde profluit*

4. Ratio, majorem mari quàm fæminæ nupturæ ætatem constituendi; cum enim, ut matrimonium legitime coalescat, desiderentur duo, scilicet discretio sive usus rationis necessarius ad consensum, &

facultas generandi; atque idcirco masculi quousque puberes & fæminæ quousque viri potentes, sive ad coitum ex se ad prolis generationem aptum potentes sint, ad nuptias celebrandas non admittantur: & ad ejusmodi coitum potentia in fæmina citiùs & jam duodecimò, in mare autem tardiùs & decimò quartò primùm annò adesse plerumque solet ac præsumatur à Jure, ad ea, quæ frequentius accidunt, respiciente, *l. Ex his 4. §. l. Nam ad ea 5. ff. de LL. non eandem sed diversam ætatem mari & fæminæ constituendi ratio justissima fuit, Tiraquell. L. Cornubial. 9. n. 38. Guttierrez in Auth. Sacramenta puberum C. Si adversus Venditionem n. 1. §. 2. & Gonzalez in c. Ubi non est 1. n. 2. hęc Rubr. n. 7. Rationem diversitatis sive, cur fæminæ citiùs viris pubescant & ad coitum potentes sint, cum Philosopho Lib. 4. de Generat. animal. cap. 6. idem Tiraquellus Syntagmat. Lib. 9. cap. 7. n. 9. eam reddit; quòd, licet intra matris uterum tempore fæmina longiorè quàm mas, ubi tamen in lucem venerint, breviori illa quàm iste tempore perficiatur; nam & pubertate & vigore & senectute & obitu marem fæmina propter suam debilitatem & imperfectiorem plerumque ante vertit; cum, sicut in artibus, sic & in naturæ operibus, quæ minora, debiliora minùsque perfecta sunt, ad finem citiùs pertingant, deficiantque.*

Quoad ætatem ad sponsalia & matrimonium requisitam ea etiam, & bene notanda, differentia est; quòd illa, ante septennium impletum contracta, Regulariter Naturali: istud autem, ante duodecimum à fæmina, & à mare ante decimum quartum annum contractum, irritum Regulariter tantum sit Jure Positivo; cum à rationis usu, ante septennium impletum regulariter non præsentem, pendens consensus, sicut ad quemcumque alium,

que actum, sic etiam ad sponsalium contractum Naturali, ut per se constat: potentia autem generandi ultra consensum ad valorem matrimonii Jure solum Positivo requiratur, Gonzalez *in c. Ubi non est. n. 7.* Gobat *Experient. Tract. 9. n. 450.* & propterea ab impuberibus præditis usu rationis inita matrimonia inter Infidèles, seclusâ lege, ea irritantur, pro validis rectè habeant Gonzalez *l. cit.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 7. n. 1.* & cum ejusmodi Fidelibus, infra pubertatis annos constitutis, ad matrimonium validè in eundem dispensari à Papa posse, & dispensatum fuisse, omni exceptione major testis sit Navarrus *Consil. 4. hâc Rubric. apud cit. Gobat n. 610.*

7. Dixi, Regulariter, Imprimis de sponsalibus; quia, si ulus rationis septennium antevertat, sponsalia ante istud impletum inita subsistunt, saltem de Jure Naturali, ad ea plus non exigente, quam consensum, in eo, qui usum rationis habet, non deficientem, *l. Sufficit 4. § 1. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* quia septennium à Jure tantum præscribitur; ut consentiendi vis adesse præsumatur, Joan. Andr. *in c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 9.* & Alexand. de Nevo *ibid. n. 10.* Deinde de matrimonio; quia usu rationis absente, sicut sponsalia post septennium, sic etiam & multò magis, ipsum quoque matrimonium à fœmina duodecim, & à mare quatuordecim annis majore contractum, irritum est Jure Naturali, ut nemo inficiatur; cum ejus contractus sit actus humanus, qui usum rationis supponit, Perez *disp. § 1. n. 7.*

9. Porro ex eo; quòd sponsalia infra septennium celebrata Regulariter, quando scilicet usus rationis eam ætatem non antevertit, Jure Naturali irrita sint, duo inferuntur. Primum est; quòd ea etiam post septennium jam impletum non obli-

gent, quantumvis septenniò major ipsis non contradicat: nisi ea postea ratificet, *c. Unic. cit. pr.* vel expressè, puta verbis, scriptò, nutu aut aliis signis: vel tacitè vg. alteri cohabitandò, munera mittendò, aut alia, quæ sponsi & eòdem modò, quòd isti solent, faciendò, ut *in c. Literas cit.* cum Glossa *V. Placere,* notat Barbosa *n. 2.* & explicat Sanchez *Lib. 1. disp. 16. n. 6.* Alterum; quòd à sponsalibus cum infante seu nondum septenni initis, resilire valeat non tantum iste: sed etiam, qui cum eo contraxit: licet septenniò major & pubes jam sit; quia sponsalia sunt promissio mutua; ac proinde iis, propter ætatis ad validam promissionem requisitâ defectum, in uno irritis, non tenebitur alter, Zabarella *in c. De illis cit. n. 2.*

Aliter res se habet cum sponsalibus contractis ab impuberibus & habentibus usum rationis; talia enim Imprimis impuberes ita obligant; ut ante pubertatis annos resilire, eaque dissolvere non possint, *c. De illis 7. § c. A nobis 8.* etiam mutuo consensu utriusque, ut patet ex *c. De illis cit.* verbis, *Sive uterque sive alter reclamet;* & ibi notant Panormit. *n. 9.* Joan. Andr. *n. 4.* & Anchoran. *n. 2.* ne propter fragile & lubricum judicium sponsalia facile, & sæpè temere contrahant, iterumque dissolvant. Deinde, licet pubertatis, hoc est, à fœmina duodecimò & à mare decimò quartò ætatis annis impletis, reclamare & à sponsalibus recedere à Jure, immaturo puerorum judicio ita consulente, permittatur uterque; *cc. cit.* tamen, si pubes factus id non faciat statim, hoc est, triduo ante vel post pubertatem, *arg. l. fin. C. de Judiciis § 1. fin. C. de Errore advocat. secundum cit.* Joan. Andr. & Anchoran. *n. 4.* sponsalibus firmiter obligatur; quòd non statim reclamans videatur consentire, ut

N

re, ut

re, ut cum iisdem & cit. Alex. de Nevo  
 w. 15. tradunt Covarruvias de Sponsal. p.  
 1. cap. 5. §. 1. n. 2. & cit. Sanchez disp. 51.  
 n. 14. Denique, licet ex duobus spon-  
 sis impuberibus, is, qui prius factus est  
 pubes, resilire, alterius pubertate non ex-  
 spectatâ, possit, c. De illis 7. cit. §. Si ve-  
 rd: resilire tamen nequit is, qui jam pu-  
 bes cum impubere, sponsalibus stare vo-  
 lente, contraxit, c. cit. §. Mulier 1. ut  
 ibi notat Joan. Andr. cit. n. 4. Alexand.  
 de Nevo n. 16. & Barbosa n. 5. Unde

13. Dubium oritur primò, an malitia,  
 sive potius prudentia, in sponsalibus sup-  
 pleat defectum ætatis sive, an valida sint  
 sponsalia, inita ante septenniū, si eò tempo-  
 re adsit usus rationis. Et illâ quidem æ-  
 tatis defectum suppleri in matrimonio,  
 ut hoc à fœmina ante duodecimum & à  
 mare ante decimum quartum ætatis an-  
 num validè contrahatur, si usus rationis  
 & generandi potentia eò tempore adsit,  
 clarè decimū cit. c. De illis 7. & ratio  
 est; quòd in contrahendo matrimonio  
 attendaturabilitas ad generationem &  
 capacitas doli, sive discretio ad intelli-  
 gendam vim consensûs conjugalis, c. fin.

In sponsalibus autem malitiâ seu  
 potius prudentiâ ætatis defectum supple-  
 ri, illâque à nondum septenni, usum  
 rationis jam habente, validè contrahi, cum  
 Panormit. in c. Juvenis 3. de Sponsal. n.  
 5. negant Brunell. de Sponsal. conclus. 4.  
 n. 5. Alexand. Carerius de Sponsal. Lib.  
 1. cap. 7. & ex RR. Palao Tract. 28. disp.  
 1. p. 6. n. 8. propter textus c. Literas, c.  
 Accessit cit. & c. Ad dissolvendum 13.  
 quibus ante septenniū inita sponsalia  
 pro nullis generaliter habentur. Ratio-  
 nem reddunt; quòd, si ante septenniū  
 inita subsisterent, frustra à Jure septenniū  
 præscriberetur; cum præsentè rationis  
 usu valerent ante: eò verò absente, etiam  
 post septenniū inita non valerent. Un-

de designatio septenniū nullum habere  
 effectum. Ita isti, & spectatis præfer-  
 tim cit. textibus satis probabiliter.

Nihilominus, sicut communior,  
 sic etiam probabilior est sententia D. Tho-  
 mæ in 4. dist. 27. q. 3. art. 2. Joan. Andr.  
 in c. Juvenis cit. n. 9. Alexand. de Nevo  
 ibid. n. 19. Sylvestri V. Sponsalia, q. 2. d.  
 2. Covarruvias p. 1. cit. cap. 2. n. 1.  
 Gutierrez in Auth. cit. n. 5. & aliorum  
 præcipui nominis TT. & Canonistarum,  
 à Sanchez Lib. 1. disp. 16. n. 9. relato-  
 rum: quibuscum iste pro validis habet  
 sponsalia, à nondum septenni, sed ra-  
 tionis usu jam prædito, contracta. Mo-  
 ventur primò decisione c. Juvenis cit. quâ  
 invalidum declaratur matrimonium, pro-  
 pter Justitiam publicæ Honestatis ortam  
 ex sponsalibus, initis cum puella nondum  
 septenni. Unde clarè inferitur, sponsa-  
 lia illa fuisse valida, ætatisque defectum  
 malitiâ suppletum, ut ibi cum Glossa i-  
 nit. notat Barbosa n. 9. quia ex sponsali-  
 bus invalidis ob defectum consensûs, cu-  
 jusmodi sunt, quæ ob defectum ætatis  
 septennalis invalida sunt, publicæ Ho-  
 nestatis impedimentum, etiam ante Con-  
 ciliū Tridentinum non ortum, patet  
 ex c. Unico, de Sponsal. & Matr. in 6. &  
 ibi adnotat Barbosa n. 4. Secundo pa-  
 ritate cum matrimonio, ad quod spon-  
 salia sunt via & dispositio; ideòque lo-  
 cus est arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.  
 præsertim cum ad ista intelligentiâ, quid  
 agatur, l. In Sponsalibus cit. & nudus  
 consensûs sufficiat de Jure Civili, l. Suf-  
 ficit. 4. ff. ibid. quod à sacris Canonibus  
 non correctum: sed solummodo defini-  
 ta est ætas, quâ ejusmodi intelligentiâ  
 & consensûs adesse præsumatur. Tertiò  
 ratione; quia malitiâ ætatè in matrimo-  
 nio ideo supplet; quia præter discretio-  
 nem potentia generandi decimū quartum  
 in mare & in fœmina duodecimū ætatis an-  
 num

num aliquando anteverit. Unde, cum etiam usus rationis aliquando antevertat annum septimum, ætatis defectum prudentia etiam in sponsalibus supplebit, ut rectè arguit Perez *disp. 5. s. 6. n. 8.*

16. Neque propterea frustranea est assignatio septennii; quia ante hoc impletum abesse: eò verò impletò, adesse præsumitur usus rationis ex dispositione *c. Literas, & aliorum textuum cit.* ante septennium inita sponsalia pro irritis habentium ex præsumptione usûs rationis, eà ætate absentis: cujus præsumptionis certus usus est, quoties dubium est, an usus rationis adsit; cum, si istius usus exploratus non sit, ante septennium abesse, & adesse præsumatur post septennium impletum, Joan. Andr. *in c. Juvenis cit. n. 9.* Alex. de Nevo *ibid. n. 10.* & Sanchez *l. cit. n. 10.*

17. Dubium secundò est, an casu, quò malitia vel potius prudentia ætatis defectum non supplet, septimus ad sponsalia, & ad matrimonium requisitus duodecimus & decimus quartus annus completus esse debeat Physicè, vel solùm Moraliter; ut completus censeatur, cui unus vel etiam duo aut tres dies desunt. Moraliter completum sufficere, cum Joan. Andr. *in c. Literas cit. n. 2.* sententia Guttierrez *de Matrim. cap. 2. n. 7. & 8.* & Rebellus *de Oblig. Jusit. Lib. 3. q. 26. sect. 2. n. 13.* & luadere videtur ratio; quia, quod parùm distat, nihil distare videtur, secundùm Aristot. *Lib. 2. Physic.* neque id immeritò; cum parùm & nihil æquiparentur etiam à ICT.<sup>is</sup>

18. Contrà Sanchez prædictos annos ita completos exigit; ut ne una quidem dies desideretur: etsi ultimum diem inchoatū, favore matrimonii, pro completo habendum, censeat in sponsalibus *Lib. 1. disp. 16. n. 4.* in matrimonio autem *Lib. 7. disp. 104. n. 1. & 2. arg. l. Quà ætate*

*s. ff. de Testament. quem præter alios novissimè secutus est Carol. Antonellus de Temp. Legali Lib. 2. cap. 4. n. 3.* & alii.

Neque Regulæ Aristotelicæ vel l. 19.

*Quà ætate cit.* argumento in proposito casu est locus, ut cum Pontio *Lib. 7. cap. 65. n. 1.* observant Palao *Tract. 28. disp. 6. p. & n. 6.* Perez *de Matrim. disp. 37. sect. 12. n. 4.* & Gonzalez *in c. Accessit 5. hâc Rubr. n. 4.* qui ad matrimoniū & ad sponsalia prædictos annos, & istorum dies ultimos omnino completos exigunt; quia ex una, à Jure præscribitur certa & completa ætas, ad sponsalia quidem septennis, *c. Literas ibi, Antequam septimum annum implevisset, c. Accessit, c. Ad dissolvendum cit.* ad matrimonium verò duodecim & quatuordecim annorum, *c. Ex literis cit. ibi, Donec completat puer annum decimum quartum.* Ex altera verò parte, quando certa ætas à Jure præscribitur, non potest præveniri; imò currit à momento ad momentum, *arg. l. Denique 3. s. 3. ff. de Minoribus:* uti etiam patet ex bimestri, ad Religionis ingressum conjugibus post matrimonium ratum indulto, *c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* & ex decimo sexto ætatis, & integro probationis anno ad Professionem requisito à Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* quorum mensium & annorum ultimam diem cæptam pro completa non haberi, communis sensus est DD.

Neque aliud persuadet l. *Quà ætate cit.* quia istius dispositio est specialis; ac proinde ad propositum nobis casum non extendenda; præsertim cum non sit eadem ratio; ætatem enim testatori præscriptam moraliter accipi, ei favorabile & nequaquam onerosum est: sponsalia autem, matrimonium & professio non tantum favorem; sed etiam onus & gravissimam perpetuamque obligationem

N a

afferunt,

afferunt, ut rectè monet *cit. Palao n. 7. in fine.*

20. Hæc RR. Opinio, licet aliis prævaleat, à Juris tamen Regulis & principiis non aberraturus videretur, qui propter allatam rationem septennium quidem ita completum exigeret in sponsalibus: in matrimonio autem, propter specialem istius favorem, ultimam diem inchoatam pro completa haberet.

21. Dubium tertio est, an matrimonium inicum inter puberem & impuberem, vel duos impuberes, in quibus malitia ætatis defectum non supplet, valeat in vim sponsalium. Ratio dubitandi est; quòd impuberes matrimonium contrahentes revera non sponsalia, sed matrimonium contrahere intenderint; ac proinde, sicut conjugalem, sic etiam sponsalitiã obligationem non contraxerint; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *arg. l. Non omnis 19. ff. Si certum pet.* Unde in impubere matrimonium contrahente locus est Regulæ, *Quod voluit*, scilicet matrimonium, non potuit, quòd potuit, scilicet sponsalia, non voluit: cui, quoties de contrahenda obligatione agitur, locum esse, docet Bartol. in l. 1. §. Si quis 2. ff. de V. O. n. 5. Atque hac ratione persuasi Petr. Ledesma de Matrim. q. 45. art. 4. p. 2. post dub. 4. & novissimè Lud. Engel ad hanc Rubric. n. 10. ab impubere matrimonium contrahere volente nihil agi; proindeque etiam sponsalitiã obligationem non contrahi, censuerunt. Quorum Opinio non parùm firmatur l. *Quæstum 9. ff. de Sponsal.* quâ matrimonio, ob defectum ætatis invalido, licet præcedentia sponsalia non destruat, hæc tamen inducendi vis expressè negatur. Contrà Interpp. in c. fin. de Desponsat. impub. & c. unico, eodem in 6. & cæteri DD. ejusmodi impuberes obligatione saltem spon-

22. salitiã teneri; *cc. cit.* clarè decisum; & propterea in illo procedere volunt Regulam; *Si actus non valet, ut ago*, hoc est, ut matrimonium, valeat meliori modo, quò potest, hoc est, ut sponsalia, *arg. l. Si tam angusti 17. ff. de Seruitutibus.*

Posterioris hujus & meò judicio posterioris sententiæ veritas, ut clariùs pateat, adhibere juvat distinctionem; vel enim impuberes, contrahendò matrimonium, sponsalia intentione suã expressè excluderunt, vel non? Si posterius hoc, ex clara decisione *cit. c. fin. & c. Unici §. Idem quoque*, obligatione saltem sponsalitiã tenentur; quòd, licet expressè intenderint solum matrimonium & actualem traditionem juris in corpora ad actus conjugales, ex præsumptione tamen sive interpretatione Juris Ecclesiastici & virtualiter, si matrimonium sive ejusmodi traditio fortè ex defectu ætatis non valet, intenditè censeantur sponsalia, sive mutuum obligationem ad ejusmodi actualem traditionem faciendam, cum poterunt, juxta *cit. Regulam*, *Si actus non valet, ut ago &c.* Ita cum Glossa in §. *Idem quoque cit. V. Matrimonium*, Franco in §. *cit. n. 2.* Brunello de Sponsal. conclus. 6. n. 2. Covarruvias p. 1. *cit. cap. & n. 3. &c. cit.* Sanchez disp. 21. n. 2. Si prius, sicut matrimoniali, quàm voluerunt, ob defectum ætatis; sic sponsalitiã quoque obligatione, quam noluerunt, ob defectum consensus, non tenentur, ut cum Sylvestro *V. Matrimonium 5. q. 8. in fine*, iidem docent n. 3. quòd *cc. & §. cit.* textus occultam contrahentium voluntatem solum interpretentur; non adversentur expressæ, ut clarè indicatur verbis, *Quæ Juris interpretatione fuerunt sponsalia de futuro*, §. *cit.*

Neque obitat l. *Quæstum cit.* quia, cum de matrimonio & sponsalibus agitur, stan-

est, standum est Jure Ecclesiastico, quod illa Civilis dispositio est correcta, ut ex communi aliorum DD. sensu rectè monet Gonzalez in *c. fin. cit. n. 4.*

24. Dubium quartò est de valore matrimonii initi ab iis, qui impletis annis pubertatis nondum sunt potentes. Ratio dubitandi desumitur partim à paritate sponsalium irritorum: si contrahentium alter septimò quidem major, sed nondum præditus est usu rationis: partim ex eo; quòd puberes de Jure sint, qui sunt potentes, *c. Puberes 3.* unde, qui tales non sunt, ad matrimonium validè contrahendum inhabiles esse videntur, *Glossæ in c. cit. V. Iardissimè*, cujus Opinionem de Jure veriorem censet Panormit. in *c. cit.*

25. n. 4. Sed, sicut eòdem teste æquior, sic veritati conformior est Opinio aliorum, qui extra casum, quò impotentia perpetua laborant, à fœmina duodecimum & à mare decimum quartum ætatis annum egressis, sed nondum potentibus, matrimonium validè iniri docent ex ratione; quòd impotentia solum temporanea, quâ illi laborant, matrimonium dirimat Jure solum Positivo, potentiam præsentem, eò solum casu, exigente, quòd matrimonium ante duodecimum à fœmina & à mare ante decimum quartum annum initur, *c. De illis 9. cit.* aliàs enim triennium ad experiendum, an impotentia perpetua sit, non daretur *c. Laudabilem 5. de Frigid. ac Malefic.* sed conjugium illicitò esset dissolvendum. Ita cum Joan. Andr. & Alex. de Nevo in *c. Puberes cit. n. 8.* Sylvestro *V. Matrimonium 5. q. 7.* & Covarruvia de *Sponsal. p. 2. cap. 5. n. 2.* alii DD. multi à Sanchez *Lib. 7. disp. 104. n. 15.* congesti.

Neque hac in re paritas est matrimonii cum sponsalibus; quia ad hæc usus rationis Naturali: ad illud autem præfens potentia ad copulam Jure solum Positivò requiritur,

Dubium & controversia quintò est an impuberes, pubertatem adepti, resiliere valeant à sponsalibus juratis. Quòd in *c. cit. c. De illis 7.* cum *Glossa V. Judicio*, Panormit. *n. 6.* & Alex. de Nevo *n. 13.* & Anchorano in *c. Ex literis 10. de Sponsal. n. 3.* negant *citt.* Covarruv. *cap. 5. §. 1. n. 3.* & Sanchez *disp. 51. n. 22.* propter textum *c. Ex literis cit.* quòd impuberes, ut sponsalia juramentò firmata impleant, monendos: & si monitis non acquiescant, Censuris compellendos, habetur.

Sed verius, illis resiliere volentibus, juramentum non obstare, cum Joan. Andr. in *c. cit. n. 3.* & aliis tam VV. quàm RR. defendunt Pontius *Lib. 12. cap. 9. n. 8.* & Perez *disp. 9. f. 2. n. 8.* permoti solenni ratione; quòd juramentum sequatur naturam & conditiones actus & obligationis, cui est adjectum, *l. fin. C. de Non numer. pec. nisi aliud Jure sit expressum.* Unde tacita conditio, *Nisi pubes factus reclamem*, sicut in impuberum sponsalibus, *c. De illis cit.* sic etiam in adjecto his juramento includitur. Neque de isto aliud expressum est *c. Ex literis* in contrarium allegatò; quia impuberes, de quibus eò sermo est, fuerunt proximi pubertati; ut inter eos, malitià ætatem supplente, matrimonium consistere potuerit, juxta *c. illis 9.* quod ex verbo, *Impubescentes*, hoc est, propè puberes, satis colligi, cum Cuiacio in *c. cit.* advertit Pontius *cit. n. 9.* & ex eo; quòd Alexander III. ibi fœminam in uxorem recipi & maritali affectu pertractari jussit: quod fieri, nisi in pubertati proximis, non potest, Perez *l. cit.*

Sed, inquires, quando impubes pubertati proximus censetur? Menoch. de *Arbitr. casu 57.* & Sanchez *cit. disp. 104. cum à num. 37.* Doctorum varias opiniones retulissent, tandem ille *n. 43.* iste verò *n.*



verò n. 40. & cum ipsis Farinacius *Prax. Criminal. q. 91. à n. 4.* & Paul. Zacchias *Q. Q. Medico-Legal. Lib. 5. Tit. 1. n. 24.* propter temperamenti, à quo ea pendet, nimiam diversitatem, relinquunt arbitrio iudicis; cujus prudentiæ, licet hac in re multum, & meritò, tribuat, à Jure tamen Ecclesiastico pubertati proximam foeminam Regulariter undecimo, saltem ad finem vergente, & sub duodecimi initium, acproinde, marem sub finem decimi tertii & decimi quarti anni initium jam censerì, in *c. Continebatur 6. existimat Gonzalez n. 5.*

29. Dubium sextò est, an sponsalia vel matrimonium ante legitimam ætatem contrahentes peccent. Cui ansam præbet *c. Ubi non est 2.* quò relatum Nicolai I. rescriptum est, *Districius inhihemus; ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur: nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Quem textum licet de sponsalibus de futuro contrahendis cum Glossa *V. Conjungantur*, Ant. de Butr. *n. 7.* Joan. Andr. *n. 5.* Alex. de Nevo *n. 10.* exaudiat Sylvester *V. Sponsalia, q. 3. d. 1.* meliùs tamen cum Panormit. *n. 3.* & Præposito *n. 2.* de ipso matrimonio intelligunt *sist.* Sanchez *disp. 17. n. 4.* Pontius *Lib. 12. cap. 5. n. 3.* Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 6. n. 11.* & Wagnereck *in c. cit. V. Ne aliqui*, id defumens ex verbis, *Ne conjungantur*; cum sponsalia propriè non personarum conjunctio, sed ab iis duntaxat faciendæ conjunctiois promissio sint. Unde, ante septennium initium sponsalium contractum gravi & verisimiliùs omni culpà vacare, sentiunt DD. *sist.* cum; quòd ejus prohibitio alia non extet: tum verò; quòd illorum contractu, ante septennium initò, ulla personæ tertiæ

injuria aut Sacramento irreverentia non irrogetur.

Simili modò ab impuberibus, in quibus ætatem malitia non supplet, celebratum contractum matrimoniale à gravi saltem culpa excusant laudati Sanchez *n. 6.* Pontius *n. 4.* & Wagnereck *V. cit.* saltem, si copulam carnalem non attentent. Ducuntur *c. fin. c. Unicò §. Idem quoque in 6.* & aliis textibus, contractum per verba de præsentì, ut aiunt, permittentibus: quibus ne recitata *c. Ubi non est cit.* verba obstant, ea accipiunt de conjunctione per copulam carnalem, aut saltem cum ista conjuncta. Rationem reddunt; quòd, cum impuberum matrimonium Juris interpretatione vim habeat solorum sponsalium de futuro, §. *Idem quoque cit.* sicut istorum, sic & illius, contractu tertiæ personæ & ipsi Sacramento injuria vel irreverentia non inferatur. Verùm quia neque *c. fin. & §. Idem cit.* neque aliis Juris textibus ipsum matrimonium impuberibus permittitur: sed factum tantum sine ulla ejus approbatione narratur, & illi sola sponsalium vis adstruitur, de ejusmodi contractùs matrimonialis permissione perperam accipiuntur, contra anteriorem Nicolai Papæ constitutionem *c. Ubi non est.* in contrarium satis aperte militantem, partim; quia Districè inhihet; ne aliqui ante ætatem legibus & canonibus definitam conjungantur: partim verò; quia Apostolica hæc inhihitio restringi nequit ad conjunctionem carnalem; cum conjunctionem, quam impuberibus vetat, permittat pro bono pacis, quò etiam urgente conjunctio per carnalem copulam illicita est impuberibus, in quibus malitia sive generandi potentia adesse & defectum ætatis supplere non judicatur.

Quare hujusmodi impuberum contractum matrimonialem extra casum, quò ex urgen-

ex urgentissima v.g. concilianda vel conservanda pacis causa initur, à gravi culpa excusari cum, Hostiensis in c. cit. pr. & Alex. de Nevo n. 2. verisimilius negant Paludan. in 4. dist. 28. q. 2. art. 1. à n. 8. Sylvester V. Matrimonium §. q. 6. Navarrus Manual. cap. 22. n. 31. Petr. Ledesma de Matrim. q. 43. art. 2. dub. 3. & cit. Palao n. 13. quòd c. Ubi non est cit. Papa utatur gravibus verbis *Districteius inbibemus*, denotantibus serio impositum præceptum vel prohibitionem, per tradita ab Archidiacono in can. *Interdixit* 16. dist. 32. saltem si materia sit gravis, ut cum Suarez Lib. 5. de LL. cap. 3. n. 6. & aliis dictum est Lib. 1. tit. 2. n. 79. Esse autem c. *Ubi non est*. propositi casus materiam gravem, nemo facile inficias ibit; cum impuberum, in quibus generandi potentia ætatis defectum non supplet, conjunctione matrimoniali (eò ipsò; quòd quantum in ipsis est matrimonium contrahere intendant) attentetur Sacramenti invalidi administratio: quæ, quòd illius irreverentiam contineat, extra urgentissimæ necessitatis casum toleranda non est.

## ARTICULUS II.

## De Consensu Parentum.

## SUMMARIUM.

31. Magna Autoritas parentum est in conjugio liberorum :
32. Quæ tamen, his in vitis, non contrahuntur.
33. Licet, in vitis parentibus, valide à liberis ineanantur,
34. De Jure saltem Ecclesiastico moderno :
35. Imò & antiquo.

36. Ad nuptias à parentibus electas liberos, obligari assentientium,
37. Et negantium verior Opinio,
38. De Jure saltem Canonico moderno.
39. Ad consilium tamen parentum requirendum liberi tenentur.
40. Leges Civiles, exheredationem liberorum indignis nubentium permittentes, impugnantur :
41. Et magnâ ratione defenduntur.
42. Non ladunt libertatem matrimonij,
43. Nec Jure questio liberos privant.

**Q**uantumvis parentum, & patris præsertim in contrahendis liberorum conjugii magna semper, eaque fuerit autoritas; ut, quæ sine illorum consensu inita sunt, Civili & Canonico etiam Jure justæ honestæque nuptiæ non censerentur, l. *Nuptia* 18. ff. de Ritu nupt. l. *Nec filium* 12. C. & pr. Instit. de Nuptiis, can. *Videtur*, 35. q. 6. c. *Videtur* 3. *Qui matrim. accus.* & c. 1. hâc Rubr. tanta tamen non fuit; ut libertas omnis liberis adimeretur, & non eorum quoque desideraretur assensus, l. *Filiofamilias* 13. ff. de Sponsal. l. *Non cogitur* 21. ff. de Ritu nupt. can. *Nostrates* 30. q. 5. c. *Unic. pr.* & c. *fin. hâc in 6.* Imò hos contradicentes aut non consentientes matrimonio jungi non potuisse, constat ex l. *Filio*, l. *Nec filium cit.* & can. *sufficiat.* 2. ibi, *Qui, nuptiis jungendorum consensu, Si solus defuerit, cetera frustrantur*, 27. q. 2. cui consonat c. *fin. de Sponsa duor.*

Sicut sine istorum, sic etiam sine parentum consensu inita conjugia irrita esse, Corrasius Lib. 1. *Miscell. cap. 27.* Connanus Lib. 8. cap. 4. n. 6. & veteri quoque Ecclesiæ Jure fuisse, Pontius Lib. 2. de Matrim. cap. 1. n. 5. existimant, & sacis clarè proditum videtur utroque: Civili quidem Jure pr. & l. *Nuptia cit.* & l. *Nuptia* 11.

*ptia* 11. ff. de Ritu nupt. quos textus præ oculis habuit Clemens III. cum sine consensu parentum secundum Leges nullum matrimonium fieri posse, aseruit c. *Videtur* 3. cit. Ecclesiastico autem can. *Aliter* 30. q. 5. ubi Evaristus Papa, *Aliter*, inquit, *legitimum non sit conjugium, nisi à parentibus &c. Sponsetur, & can. Nostrates* cit. quò relatum Nicolai I. ad Bulgarorum Consulta responsum est, *Nuptialia fœdera consensu eorum, qui hæc contrabunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.*

- Sed esto, sine illorum consensu inita liberorum conjugia Iure Civili irrita fuisset, Corrasio & Connano concedatur propter *ll. & c. Videtur* cit. quod tamen Cuiacius *Lib. 3. Observat. cap. 5. & Costanus de Sponsal. Tit. de Ritu nupt. n. 101.* negant, ejusmodi nuptias hoc Jure injustas quidem, hoc est, illicitas: at non invalidas fuisse, asserentes: Ecclesiasticò tamen, tam veteri quàm modernò Jure, conjugia solò liberorum consensu inita substituisse; ac proinde consensum parentum ad illorum valorem necessarium non fuisse, contra Pontium *l. cit.* defendunt Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 8. à n. 1.* Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 19. & 20.* caterique TT. & Canonistæ passim: & de moderno quidem id indubitatum reddidit S. Synodus Tridentina, illos, qui matrimonia à filiis familias, sine parentum consensu contracta, irrita falsò affirmant, anathemate damnans *Sess. 24. cap. 1. pr. de Reformat. Matrim.* De veteri quoque Jure id planum est ex *can. Sufficiat* cit. c. *Cum virum* 12. de Regular. c. *Causa* 6. de Raptoribus, & non obscure colligitur ex c. *Cum locum* 14. c. *Cum apud* 23. c. *Tue* 25. de Spons. & Matrim. quibus textibus de consensu ad matrimonium necessario agitur: & solius id incuntium, nulla autem paterni con-

sensus mentio fit. Ratio non minùs clara quàm solida est; quia matrimonium est aliquid spirituale; cum sit unum ex septem Novæ & Evangelicæ legis Sacramentis, c. *Debitum* 5. de Bigamis & laudatæ S. Synodi *Sess. 7. & Sess. 24. utrobique can. 1.* In spiritualibus autem patria potestas non attenditur, c. *fin. V. fin. de Judiciis, in 6.* eamque ob causam filius invitò patre professionem in Religione, à sede Apostolica approbata, emittere potest, *l. Deo nobis* 56. C. de Episc. & Cleric. c. *Cum virum* cit. &c. à qua, tanquam conjugio spirituali, quando eadem utriusque ratio est, argumentum rectè ducitur ad carnale, arg. c. *Inter* 2. de *Translat. Episc.* Everard. *Legalium argum. loco 33. num. 3.*

Neque in contrarium facit *can. Aliter* cit. quia, sicut ceteræ conditiones at solennitates ex ejus præscripto in nuptiis observandæ, sic etiam eò commendatus parentum consensus necessarius non est ad earum substantiam: sed solummodo; ut in foro externo reputentur legitimæ, hoc est, secundum sanctiones Ecclesiasticas celebratæ: non clandestinæ; talia enim olim etiam, quæ absque parentum vel sanguineorum consensu inita erant, con nubia nuncupata, cum Glossa *in c. fin. de Clandest. despons. V. Clandestina*, Innocent. *in eandem Rubric.* observant Henriquez *Lib. 11. cap. 5. n. 5.* & Gonzalez *in c. 1. num. 11.*

Non magis adversantur reliqui *can. cit.* quia etiam iis parentum consensum non ad valorem, sed ad honestatem duntaxat nuptiarum exigi, Gonzalez *ibidem* n. 12. notat. Unde

Dubium oritur, an ergo ad ineunda, 36. quæ parentes volunt, conjugia liberi obligentur, & valeant compelli. Certum est, per se non posse liberos, volentes ingredi Religionem aut vivere in Cœlibatu; quia his

quia his casibus coactio majoris eorum boni impeditiva & injusta foret, Gutierrez de *Matrim.* cap. 79. n. 17. *Per se*, inquam; quia per accidens v.g. casu, quò ob deflorationem alicujus puellæ, cui satisfactio pro injuria & damni illati refarcitio exhiberi debet, vel ob gravem necessitatem parentum, qui sublevari aliter non possent, ad matrimonium contrahendum obligarentur, ad hoc eos moderatâ coactione adigi posse, cum *cit.* Doctore n. 16, concedit Coninck *disp.* 28. *dub.* 5. n. 50. & permittit ratio; quia dictis casibus ad matrimonium obligantur Jure Naturali: ad cujus obligationem implendam ita compelli à parentibus possunt, Perez *disp.* 17. de *Matrim.* f. 17. n. 6.

Extra hos etiam iisque similes casus ad ea, quæ parentes volunt, conjugia liberos graviter obligari, cum Alexand. de Nevo in c. 1. *cit.* n. 13. & Navarro *Manual.* cap. 14. n. 15. docet Bellarminus *Lib. 1. de Matrim.* cap. 19. permotus auctoritate Hormisdæ Papæ c. 1. *cit.* ita rescribentis. *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult, matrimonio tradere: & postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere;* verbò enim *Debet* necessitatem ac præceptum imponi, vult Glossa in c. *Proposuit* 24. *V. Debet, de Appellat. & Clement. 2. V. Debeant, de Statu Monach.* Nec desideratur ratio; cum enim liberi à parentibus vendi permittantur, *l. fin. C. de Patribus, qui filios &c.* cur non etiam ad nuptias à parentibus electas compelli possint?

37. Sed hoc leve est; quia liberorum, quos in potestate habet, venditio patri, non etiam matri: & solius victus, non etiam alterius necessitatis, v.g. redemptionis causâ, tempore prementis famis & nimix egestatis permixta erat, ut in *l. cit.*

Bruneman n. 1. observat. Cujusmodi patris, imò & matris necessitas aliâ calamitas, si solò filii matrimonio propulsari queat, eum ad hoc ineundum ex virtute Pietatis obligari & moderatâ coactione compelli posse, inficias non eo, & præter alios facillè concedunt SS. DD. Angelicus ac Seraphicus in 4. *dist.* 29. ille q. *unica.* art. 4. iste q. 3. *cit.* Gutierrez n. 15. & Sanchez *Lib. 4. de Matrim. disp.* 23. n. 4.

Quare meliùs cum Anchorano in c. 1. *cit.* n. 4. Panormit. *ibid.* n. 7. Alex. de Nevo n. 13. Sylvestro *V. Lex,* n. 29. Abulensi in 1. *Reg. cap.* 18. q. 24. & Soto in 4. *dist.* 27. art. 2. ad n. 1. liberos ad eas, quas parentes volunt, nuptias extra relatos iisque similes casus Jure adstringi, negatur; quòd matrimonium ob suam insolubilitatem inducat perpetuam multitudine & gravibus oneribus atque incommodis obnoxiam societatem: quam propriâ potiùs, quàm alienâ voluntate iniri, consentaneum est, ad evitandos tristes atque infelices exitus, quibus obnoxia sæpe sunt matrimonia coacta, c. *Cum locum* 14. *&c.* *Requisivit* 17. de *Sponsal. & Matrim.*

Ne autem Resolutioni huic c. 1. *cit.* 38. textus adverteretur, ejus *V. Debet* non præcepti, sed solius honestatis ac decentiæ debitum denotari, Glossa *V. Eodem & Interpp.* ac DD. alii sat multi volunt apud *cit.* Sanchez n. 2. Sed hæc eorum expositio non placet; quòd ab ejus verbi significatione propria recedat: & c. *cit.* à patre contractum matrimonium à filio adimplendum, dicatur *Omnino*, dictione necessitatem absolutam denotante, ut cum Tiraquello in *l. Si unquam* 8. *C. de Revo. cand. donat. V. Revertatur,* à n. 78. & aliis in c. *cit.* notant Barbosa n. 6. Caninius n. 27. & Gonzalez n. 6. quorum proinde ille c. *cit.* filium ad id, quod suo adhuc impuberis nomine pater iniiit, matrimonium ob-

nium obligari, ait, si pubes factus non statim contradicat, juxta dicta n. 11. Isti verò textum illum referunt ad Jus Ecclesiæ antiquum, quod filio pubertatem adepti ab ejusmodi sponsalibus recessum non permittebat sine justa causa, v.g. quòd à puella sibi desponsata abhorreat: sicut hodie puberes à sponsalibus sine aliqua ex causis, *Tit. 1. art. 5.* enumeratis, nequeunt resilire.

39. Hæc tamen non obstant; quò minus liberi, quando matrimonium inire volunt, & ad id cum certa persona ineundum ex justa causa determinati non sunt, à DD. ad parentum aut eorum, qui parentum locò sunt, consilium requirendum obligentur; quòd in re gravi eorum consilium spernere, culpâ non vacet, *citt. Gutierrez cap. 79. n. 20. Sanchez disp. 23. n. 12. & Palao Tract. 28. disp. 2. p. 12. n. 11.* licet hujusmodi consiliu ex justa causâ, v.g. cum, quas illi suadent, nuptias sibi minus convenire judicant, sequi non teneantur.

40. Dubium hòc locò & non minus difficilis Resolutionis quàm magni momenti controversia est, an liberi contra parentum justam voluntatem personis indignis nubentes exheredari valeant, iisdem dos negari: prout Legibus Castellanis Valentinsque & Jure etiam nostro Provinciali Landrecht *Tit. 40. art. 9. §. Wurde aber* est constitutum. Hujusmodi certè Leges ac statuta, & secundum ea factam exheredationem dotisque negationem valore destitui, cum Panormit. *in c. 1. de Sponsal. n. 8.* Alex de Nevo *ibid. à n. 23.* Sylvestro *V. Lex. q. 1 §. Navarro Manual. cap. 14. n. 15.* & aliis TT. & JCT. is contendunt Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 8. n. 5.* Henriquez *Lib. 11. cap. 6. n. 2.* Azor *p. 1. Instit. lib. 5. cap. 25.* Sanchez *Lib. 4. disp. 25. n. 2.* Vasquez *disp. 4. de Matr. cap. 2. n. 14.* Laiman *Lib. 5. p. & cap. 1. n. 15. & Go-*

bat *Experient. Tract. 10. num. 109.*

Moventur primò libertate matrimonii: quam sacri Canones maximam esse volunt, *c. Gemma 29. de Sponsal. & Matr.* ejusmodi autem Statuta politica & in his fundatus exheredationis & jacturæ metus multum diminuunt. Secundò; quòd, cum liberorum, cum quacunque etiam indigna persona contrahentium, matrimonii Ecclesia assistat, eaque contracta rata habeat ac tueatur, illorum propterea facta exhereditatio negatòque dotis & utramque hanc permittentes leges Civiles videantur injustæ. Tertio; quòd, cum de causis matrimonialibus, tanquam spiritualibus, judicialiter cognoscere ac pronuntiare Ecclesiastica, non Secularis sit potestatis, *c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. 1. de Sponsal. & Matr. c. Canon. sam 7. Qui filij legit. & Trident. Sess. 24. can. 12.* illius etiam, non istius, sit condere leges ac statuta, concernentia matrimonium inter personas contrahendum; cum, cujus quis in aliqua materia & causa non sortitur forum, etiam legibus ac statutis illam concernentibus non afficiatur, ut *arg. c. fin. de Constitut. in 6. Regula instar tradunt Joan. Andr. in c. Per venerabilem 13. Qui filij legit. Socinus Lib. 4. consil. 79. n. 9. & Fagnanus in c. Utrum 1. de Cognat. Spirit. n. 12.*

Sed non minori ratione leges ac statuta liberorum exheredationem dotisque privationem, quando spretò aut non requisitò parentum consilio & contra rationabilem eorum voluntatem matrimonium cum personis indignis, hoc est, viliibus, & turpitudine vitæ laborantibus ineunt, parentibus permittentia cum Baldo *in c. Tenor 10. de Sent. & re jud. in fin. Claro §. fin. q. 82. statutò 31. n. 5.* Tholosano *Lib. 9. Syntag. cap. 3. n. 21.* defendunt Sotus *in 4. disp. 29. q. 1. art. 4.* Barth. de Ledesma *de Matrim. dub. 42.*

Petr. Bar-

Petr. Barbosa in l. i. ff. Solutio matr. p. 4. n. 36. Molina Tract. 2. de f. & f. disp. 176. à n. 14. Rebellus de Oblig. Jusit. p. 2. q. 14. s. 3. Pontius Lib. 2. de Matrim. cap. 1. n. 29. Palao Tract. 28. disp. 2. p. 12. n. 14. Perez disp. 17. de Matrim. s. 17. n. 19. & alii, eò nixi fundamento, quòd ex una, ejusmodi legibus ac statutis nulla injuria fiat Sacramento matrimonii; cum hoc in vitis parentibus in initum valeat: neque spirituali bono Ecclesiæ aut salutis animarum præjudicetur: ex altera verbò parte, magnam utilitatem afferant Reipublicæ, cujus interest nobiles & honestas familias indignis connubiis non maculari, iusta parentum consilia non sperni, tolli occasiones odiorum ac discordiarum, aliorumque minimè levium incommodorum, quæ ex ejusmodi nuptiis ita temerè contractis sæpe oriuntur.

Confirmantur ista primò, paritate cum conditionibus, à fundatoribus apponi solitis Majoratibus ac Primogenituris, & istorum incapaces reddentibus descendentes, si Judæorum vel Sarracenorum sanguine infectis, vilibus aut infamibus, imò etiam si imparibus personis nubant: quarum appositionem, licet iis, de quibus sermo est, statutis simillima sit, iustam esse, plerique concedunt.

Confirmatur secundò; quia matrimonia, quæ liberi contra iustam voluntatè parentum cum personis indignis in familiæ probrum contrahunt, illicita & vetita sunt Jure Ecclesiastico, arg. can. Aliter, can. Nostrates & c. 1. cit. imò Divino & Naturali, liberos obligante; ne in re gravi, præsertim statum & familiam concernente, iustæ parentum voluntati adversentur & contra eam agant, ut nemo facile inficias ibit: actibus autem illicitis & Juribus illis vetitis pœnam imponere non excedit potestatem Principis aut alterius Magistratus Secularis; licet de iis statuere prohiben-

dò vel irritandò non possit; cum in materia aliqua statuere ob defectum potestatis prohibitus, in ea à legitima potestate statuta, subditis eorum transgressoribus pœnam infligendò ac decernendò, multòque magis aliquid Jure indebitum denegandò, valeat corroborare, ex doctrina Glossæ in Clement. Ne Romani 2. pr. V. Tolli, de Elect. Felini in c. 1. de Sponsal. & Matrim. n. 13. & Anchorani Consil. 298.

Neque cum hujusmodi statutis pugnat libertas matrimoniorum; quia ipsis liberorum ad ista aspirantium non tam libertas, quàm istius inconultus ac temerarius abusus restringitur; cum statuta illa non impediunt, quò minus libere ducant aut nubant dignis & quibus nuptiali fœdere jungi honestè, & sine scandalo aut familiæ probro possunt, ut aliis DD. relatis notat Felinus in c. cit. num. 20.

Neque etiam; quòd causæ Matrimoniales sint Ecclesiasticæ; quia ejusmodi legum ac statutorum conditores neque vendicant sibi jus de iis cognoscendi, neque aliquod nuptiale impedimentum inducunt, sed solummodo Naturali & Positivò, tam Divinò quàm Ecclesiastico, Jure vetitum & Reipublicæ bono ac familiarum splendori noxium libertatis abusum & parentum contemptum plectunt: idque non pœnæ corporis afflictivæ inflictione aut alicujus juris jam quæsti privatione, sed tantum liberalitatis à Natura indebitæ privatione; cum liberis Naturali Jure spectatò debeantur sola alimenta: hæreditas autem Positivò, juxta dicta Lib. 3. Tit. 26. n. 10. à quo proinde indignis potest denegari, ut rectè observant cit. Pontius n. 30. Palao n. 14. & Perez n. 19.

(O)

O 2

TITU.